



Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Dubium Vltimum. Quo sensu verum est Generatio unius est Corruptio
alterius; ubi, an detur forma cadaveris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

lata & proportionata, unde nunquam una magis, quam alia sequetur, quod est contra experientiam, & valde absurdum in sententia plerorumque adversariorum, negantium nequidem divinitus materiam posse duas formas totales simul recipere, cum simul recipere possit omnes formas, ad quas potest simul esse disposita, figillata & præparata, ut verbis ipsorum utar.

xxiv. Objicies tamen 10, ex Aristotele lib. 1^o. de Generatione cap. 4^o. *Generatio est mutatio totius in totum nullo manente subiecto sensibili*; sed si maneat eadem accidentia, remanet aliquod subiectum sensibile contra Aristotelem, ergo, &c.

xxv. Respondent alii communiter Aristotelem ibi non loqui de subiecto inhæfionis, sed denominationis; illud autem manere, hoc non; quia est compositum. Sed contra, compositum non est subiectum denominationis, nisi ratione suarum partium; nam ejus pars remanet; ergo remanet id ratione cujus est subiectum denominationis, ac per consequens remanet subiectum denominationis, saltem partiale, ergo sic non satisfat Aristoteli. Quare aliter

xxvi. Respondeo distinguendo assumptum, *Generatio est mutatio totius in totum nullo subiecto sensibili manente individuo*, & *conjuncto formæ*, concedo assumptum; nullo subiecto sensibili manente diviso & separato à formæ, nego assumptum; manet enim materia, quæ est subiectum sensibile; non quidem conjuncta formæ, quia corruptio, quam Aristoteles supponit præcedere, est conjunctionis, sive unionis separatio; sed disjuncta & separata: & hinc etiam patet 1^o quomodo secundum Philosophum 1^o de Generatione Textu 24^o in alteratione maneat idem subiectum sensibile, scilicet individuum & conjunctum formæ priori; non verò in generatione; quia (saltem ordinariè) non manet individuum & conjunctum formæ priori; nam hæc ordinariè cedit succedenti: item quomodo secundum eundem 5^o. *Physic. Generatio fiat de non subiecto in subiectum*, id est, de non subiecto formæ conjuncto, in subiectum formæ conjunctum; unde proportionaliter ibidem dicit, *Subiectum generationis esse materiam nudam*, puta conjunctione cum forma substantiali, idque concomitanter & ordinariè tantum; *Alterationis verò ens completum*, id est, materiam completam per conjunctionem cum forma, idque ex mente ipsius & secundum nos ordinariè tantum; quæ omnia alii difficulter conciliant. Quod verò nonnulli objiciunt ex eodem in prædicamentis cap. 6^o. *Ablatis primis substantiis cæterorum nihil remanere*, non urget; quia per primas substantias non intelligit substantias totales ut totales, sed substantias secundum quaslibet sui partes; certum autem est in omnium sententia ablatis quibuslibet substantiæ partibus, nulla accidentia remanere posse.

xxvii. Pro Solutione Objectionum à ratione, attende semper materiam solam esse subiectum inhæfionis accidentium, &c. quæ pereunte, necessariò naturaliter pereant accidentia illa; quia migrare non possunt de subiecto in subiectum inhæfionis: compositum verò esse tantum subiectum totale denominationis, quò pereunte, non pereunt; quia de subiecto in subiectum totale denominationis transire possunt, non secus ac ipsa materia: si verò dicatur accidens advenire enti completo, non est sensus, quòd necessariò adveniat materiæ, jam informatæ

formâ substantiali, sive materiæ completæ per formam substantialem, ut patet ex dictis 1^o. *Physic. Disputat. 2^a. quòd materia recipiat formas substantiales per potentiam accidentalem realiter à se distinctam*. Sed quòd non sit de conceptu & constitutione essentiali (puta quoad præcipuas partes) entis substantialiter completi, vel absolute, entis essentialiter secundum essentialitatem sibi proportionatam completi.

xxviii. Nec dicas 10, cum P. Poncio *Physic. lib. 1^o. Disputat. 6^a. quæst. 4^a. concl. 3^a. quòd si materia sola sit subiectum inhæfionis accidentium, fore, ut nulla detur alteratio violenta, eò quòd à nulla prorsus qualitate materia prima abhorreat; nam hinc solum sequitur nullam alterationem fore violentam materiæ secundum se, bene autem composito, sive materiæ ut tali formæ unitæ, cui tantum alteratio potest esse violenta.*

xxx. Nec dicas 2^o, cum eodem loco citato, prius materia recipit formam substantialem, quam quantitatem; ac proinde quantitatem mediante formâ; ergo subiectum inhæfionis accidentium non est sola materia; probabis antecedens, quia materia prius respicit actum per se & primū, qualis est forma substantialis, quam per accidens & secundum.

xxx. Respondeo enim negando antecedens pro utraque parte, & contrarium patet; tum in dicta potentia accidentali materiæ, per quam formas substantiales recipit; tum in eo, quòd introductio formæ substantialis supponit materiam esse actu dispositam, & ad ipsam præparatam: ad probationem verò antecedentis distinguo, materia prius respicit actum per se & primum ordine intentionis, concedo assumptum; ordine executionis, sive productionis, nego assumptum; unde forma substantialis non est quidem hoc sensu primus actus, quòd primò introducat & informet materiam, sed hoc, quòd sit præcipuus, quia radix & actus principaliter à natura intentus.

D V B I V M V L T I M V M.

Quo sensu verum est Generatio unius est corruptio alterius; ubi, an detur forma cadaveris.

R E S O L U T I O I.

xxx. **D**ico 10, Axioma istud, *Generatio unius est corruptio alterius*, & è contra, quòd ex Aristotele sumitur, est verum in sensu identico, & non aliter.

xxxii. Probatur prima Pars, quia sensus identicus hujus Axiomatis *Generatio unius est corruptio alterius* est hic, *Generatio unius est negatio negationis, sive corruptio negationis*, qui æquivalat, *Affirmatio est affirmatio*; quia generatio quædam affirmatio est; & negatio negationis similiter, quia duplex negatio facit affirmationem, ergo, &c.

xxxiii. Probatur secunda Pars, quia vel Axioma illud intelligitur de accidentibus, vel de substantiis; sed, sive de illis, sive de his, intelligatur, non est alio sensu verum, ergo, &c. Probatur minor pro prima parte; quia generatio potentie instrumentalis materiæ, non est alterius corruptio; quia non habet contrarium: deinde generatio lucis non est corruptio alterius præterquam nostro sensu, & sic de generatione cujusvis ex disparatis: Probatur pro secunda parte; quia sicut dantur generationes acciden-

tium,

tium, quæ non sint alterius corruptiones, quidni & substantiarum etiam dari possent? si enim dentur accidentia quædam disparata, quidni & quædam formæ substantiales disparatæ dari possent? an autem de facto tales non dentur; experientia non docet, ut vidimus lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a. Dub. 1^o. ergo, &c.

xxxiv. Confirmatur 1^o, quia ut probatum est lib. 1^o. Physic. Disputat. 2^a. Dub. 8^o. materia non ita pendet, a forma substantiali, quin naturaliter existere possit sine omni forma substantiali: deinde uti etiam ibidem Disp. 3^a. Dub. 3^o. duæ formæ totales non subordinatæ possunt naturaliter simul existere in eadem materia; atqui hinc evidenter sequitur intentum, ergo, &c.

xxxv. Confirmatur 2^o, si Axioma istud esset alio sensu verum; aut verum esset in sensu formali, aut in sensu concomitante, aut in sensu causali, sed nullo ex his verum est, ergo, &c.

xxxvi. Probatur minor pro prima parte, quia sensus formalis præsupponit identicum, neque generatio de corruptione affirmari potest sensu alio præterquam à nobis allato; alioqui sequeretur veram esse hanc prædicationem *ens est non ens*, ut consideranti patebit, ergo, &c.

xxxvii. Probatur minor pro secunda parte; quia, vel quælibet forma substantialis exigit corruptionem alterius existentis in isto subiecto, vel non? non primum, quia de forma substantiali experientia nihil docet, ut patet ex lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a. Dub. 10. ratio autem suadet non magis omnes formas substantiales cujuscunque alterius formæ substantialis in eodem subiecto existentis corruptionem exigere, quam omnes accidentales alterius accidentalis in eodem subiecto existentis; non enim debemus similem exigentiam contra rationem, sine experientia, fingere, ergo, &c.

xxxviii. Probatur tertia Pars; quia sensus causalis istius axiomatis est hic, *Ideo corrumpitur forma vetus, quia nova introducitur*; qui omnino falsus est, ut statim diximus, & maxime ex primis mundi, terræ, Cælorum, &c. generationibus, ut vidimus lib. 1^o. Physic. Disp. 3^a. Dub. 5^o. ergo, &c.

xxxix. Confirmatur 3^o, duæ formæ substantiales possunt in ordine ad idem subiectum naturaliter esse sibi invicem subordinatæ, ergo & duæ aliæ possunt esse in eodem subiecto compatibles: à pari.

xl. Objicies 1^o, Aristoteles lib. 1^o. de generatione cap. 4^o. ut notat D. Fromondus de Anima lib. 1^o. cap. 5^o. dicit in omni generatione corporis naturalis totum mutari in totum, ut aer in aquam, vel aqua in aerem. Ergo juxta Aristotelem Axioma illud alium sensum habet, quam identicum allatum.

xli. Respondeo Aristotelem ibi loqui de generatione contrariorum, ut patet ex exemplis, quæ adfert; duplex enim est generatio, una oppositi prout opponitur privativo, quomodo, dum generatur album, corrumpitur non album, & hoc sensu semper & absolute verum est generatio unius est corruptio alterius, & c. contra; alia oppositi prout opponitur contrario; quomodo, dum generatur album, corrumpitur nigrum, & hoc sensu generatio unius non semper est corruptio alterius; unde ad rem nostram optime D. Thom. q. 28. de veritate art. 6. ubi, ut ad hanc objectionem: *secundum Philosophum generatio unius est corruptio alterius*, respondeat, in corpore art. ait, *est autem oppositorum quantum ad hoc at-*

tendenda quædam differentia: nam quædam opposita sunt, quorum utrumque ponit naturam aliquam, ut album & nigrum; & in talibus oppositis negatio utriusque est negatio realis, id est, alicujus rei: & ideo cum affirmatio non sit negatio; quia esse album non est idem, quod non esse nigrum, sed realiter differunt, ideo corruptio nigri, cujus terminus est esse album, sunt realiter diverse mutationes, quamvis sit unus motus, ut supra dictum est. Quædam vero opposita sunt, quorum alterum tantum est natura quædam, reliquum vero non est nisi remotio, vel negatio ipsius, sicut patet in oppositis secundum affirmationem & negationem, vel secundum privationem & habitum. Et in talibus negatio oppositi, quod ponit naturam aliquam, est realis, quia est alicujus rei; negatio vero alterius oppositi non est realis, quia non est alicujus rei; est enim negatio negationis, quæ est negatio alterius oppositi. Et ideo hæc negatio negationis nihil differt secundum rem à positione alterius; unde secundum rem idem est generatio albi, & corruptio albi.

xlii. Objicies 2^o, non datur casus, in quo detur corruptio substantialis, & non detur generatio contrarie oppositi: ergo nec è contra ullo casu datur generatio substantialis, in quo non detur corruptio substantialis: Probatur assumptum, quia si quispiam talis daretur, maxime esset casus in quo homini corperigeretur, caput abscinderetur, aut subito moreretur: atqui illo casu non datur corruptio sine generatione, quia statim generatur forma cadaveris, ergo, &c.

xliii. Respondeo negando assumptum, ad ejus Probationem, Respondeo verè in illis casibus dari corruptionem sine generatione; quia vel dicendum formam cadaveris nihil esse præter privationem formæ viventis in corpore organico; vel, si positiva sit, necessariò admittendum formam cadaveris esse formam totalem substantialem positivam formæ viventis non subordinatam; ac proinde simul esse duas formas totales substantiales in eadem materia, uti probavimus locis supra citatis: ex quo adhuc stat, quòd detur corruptio sine nova generatione substantiali, ut contendimus; primum tamen mihi videtur verius; quia quidquid D. Fromondus lib. 1^o. de Anim. cap. 5. art. 5^o. non apparet à quo, & quomodo, tam subito disponi possit materia ad formam cadaveris: si dicat 1^o dispositiones ad illam præfuisse; infero, ergo & ipsa, quod negant omnes communissimi: si dicat 2^o, formam cadaveris alias dispositiones non petere, quam absentiam formæ viventis à corpore cadaverico: dispositio est privativa, quam puto debere ordinari ad formam privativam sibi proportionatam, neque sufficere ad formam positivæ dispositionem necessariam. Si dicat 3^o Deum, sive causam universalem, communiter quidem determinari à causa secunda ad formam substantialem in materia introducendam, ubi tamen deest, uti in dictis casibus, supplere causæ secundæ defectum: dicam ex talis causæ secundæ defectu, melius adstrui effectus proportionaliter defectum quam effectum, cujus alioqui nulla necessitas à Deo, supplente vices causæ secundæ, produci: quia in purè Physicis & naturalibus ad Deum recurrere, nec Physicum, nec naturale est; vel si semel id liceat, dicam causas secundas nihil prorsus naturalium agere.

xliiv. Instabis, non est cur forma cadaveris non dicatur forma universalis ex naturâ suâ ordinata ad supplendum defectum formæ viventis; hoc ipsò quòd definit, ita P. Comptonus Disp. 2^a. de

Generatione Sect. 4^a. quia inquit, semper & æqualiter sequitur ad formas omnium animalium, ut illarum materias informet quocumque ferè modo pereant, ergo, &c.

XLV. Respondeo hoc argumentum potius convincere non dari formam cadaveris positivam, quàm oppositum; quia reverà quantum ratio &

experientia docent, præcisè positâ ablatione formæ viventis, dicitur esse; ablatio autem est pura privatio, privatio verò præcisè non est forma positiva. Vnde P. Comptonus supponit falsum, videlicet id quod sequitur semper & æqualiter ad defectionem formæ viventis, esse formam cadaveris positivam, cum sit pura privatio formæ viventis.

DISPUTATIO QUARTA.

De Nutritione & Alimento.

I. **N**utritio dupliciter sumi potest: 1^o latè pro quavis conversione alimenti in substantiam aliti, & sic lampas dicitur nutrirî oleo, focus ligno; quia lampas ardens oleum, focus lignum in se convertit: 2^o strictè prout solis viventibus convenit. Pro qua, sit

DVBIVM I.

Quid Nutritio viventium, & quomodo fiat.

RESOLUTIO I.

II. **D**ico 1^o, Nutritio viventium est conversio alimenti in substantiam aliti, facta ab anima virtute caloris naturalis, ut fiat restauratio ejus, quod absumi cœperat: hæc definitio clara est.

RESOLUTIO II.

III. **D**ico 2^o, Nutritio viventium hoc modo fit: 1^o cibus triginta duobus dentibus (quos ordinariè in ætate competenti os continet) comminuitur, & salivâ (quæ est humiditas è cerebro fluens, & recepta in glandibus gutturi conjunctis (cui Galenus virtutem magnam attribuit, ad excitandos sapes & facilius deglutiendos cibos) alteratur: 2^o cibus hoc modo comminutus & alteratus, partim agitatione linguæ, partim attractione gulæ (quæ est foramen ad quod transeunt cibi & potus) per stomachum (qui est canalis totus nervosus) in ventriculum (qui est sacculus oblongus, pro cibi & potus quantitate magis minusve se dilatans) trajicitur: 3^o ibi concoquitur & transmutatur, partibus vicinis, ut corde, jecore, liene, &c. ventriculi calorem coadjuvantibus in cremorem album, similem cremori lacteo, quem medici Chylum vocant; & hæc est prima cibi & potus concoctio. 4^o Chylus per pylorum (qui est alterum ventriculi orificium) à ventriculo propellitur in intestina (quæ sunt corpuscula quædam per varios flexus & ambages convoluta, ad ulnas fere quadraginta extensibilia) & quod subtilius est per venas mesaraicas, id est, mesarai sive retis adiposi, cui secundum aliquam sui partem adhærent) attrahitur ad jecur (quod est officina sanguinis) ibique excoquitur, donec virtute caloris naturalis & spirituum animalium transformetur in Chylum (& hæc est secunda cibi potusque concoctio) qui est massa quatuor humoribus constans, quorum atra bilis, seu melancholia descendit ad lienem, flava bilis, seu cholera, secedit ad folliculum fellis, pituita verò & sanguis, quæ ordinariè sese concomitantur, major pars tendit in venam cavam, (quæ est canalis crassior, in quo sanguis in jecore formatus recipitur.) 5^o ex vena cava per varios ramos & ali-

quot millia venularum, quas habent, per totum corpus diffunditur, ut per potentiam nutritivam in substantiam viventis convertatur; altera verò pituita & sanguinis purior pars, fluit ad cor, ubi depuratur & subtilizatur in spiritus vitales, qui per arterias & poros totum corpus pervadunt, (si verò copiosiores, quàm ut à poris capiantur; illos & partes circumstantes coeuntendunt, unde vivens accrescit;) sed maximè in cerebrum ascendunt, ubi rursus excoquantur; & hæc est tertia cibi & potus concoctio; ita verò excocti transeunt in spiritus animales & ad sensationes eliciendas mediantibus nervis in omnia sensuum organa diffunduntur, sed de his plura discere spectat ad medicos. Solum, sit

DVBIVM II.

In qua actione præcisè consistat Nutritio, quæ & quanta ejus necessitas.

RESOLUTIO I.

IV. **D**ico 1^o, Nutritio præcisè consistit in eductione partiali animæ materialis ex materia alimenti, vel generatione ut partiali unionem animæ rationalis ad eandem, & continuationem, tum hujus materiæ cum materia viventis, tum hujus partialis animæ (si materialis) cum anima ejusdem viventis.

V. Probatur, quia generatio est conversio alimenti in substantiam aliti: atqui hæc non potest intelligi sinè dicta partiali eductione aut generatione unitiva, & continuatione, &c. ut consideranti patebit, ergo, &c.

VI. Confirmatur, quia nutritio est partialis quædam generatio, sive aggeneratio ad substantiam aliti, ergo ut aggeneratio includit primam actionem, ut aggeneratio ad substantiam aliti, continuationem, &c. ut consideranti patebit.

RESOLUTIO II.

VII. **D**ico 2^o, necessitas nutritionis ex variis causis oritur. 1^o ex eo quod calor naturalis humidum radicale depascit & exurat, non secus ac flamma lampadis oleum; unde requiritur humidum cibale, sive alimentum, quod radicale restaurat & humidificet: est autem humidum radicale pinguis quidam & oleaginosus humor, quo pascitur & temperatur calor naturalis, seu evaporatione, spirituum vitalium, 1^o per operationes immoderatas & vehementes; unde qui diutius